

est, sophistes temporibus illis vel maximus, quum in principio libri sui sic posuisset: *De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*; Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti. Ex quo equidem existimo, tardiores ad hanc sententiam profitendam multos esse factos, quippe quum poenam ne dubitatio quidem effugere potuisset. Quid de sacrilegis, quid de impiis, perjurusque dicemus?

— Tubulus si Lucius unquam

Si Lupus, aut Carbo, Neptuni filius, —

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam perjurus, aut tam impurus fuisset? Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod vultis, confirmandum, quam videtur.

Nat. Deor. II. XXIX. Proximum est, ut doceam, eorum providentia mundum administrari. Magnus sane locus est a vestris, Cotta, vexatus: ac nimirum vobiscum omne certamen est. Nam vobis, Vellei, minus notum est, quemadmodum quidque dicatur. Vestra enim solum legitis, vestra amatis; ceteros causa incognita condemnatis. Velut a te ipso, hesterno die, dictum est, anum fatidicam *πρόνοιαν* a Stoicis induci. Quod eo errore dixisti, quia existimas providentiam ab his fingi quasi quandam deam singularem, quae mundum omnem gubernet et regat: sed id praecise dicitur. Ut, si quis dicat, Atheniensium rem publicam consilio regi, desit illud, Areopagi: sic, quum dicimus, providentia mundum administrari, deesse arbitrator, deorum; plane autem et perfecte sic dici existimato, providentia deorum mundum administrari. Ita salem istum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolite consumere: et mehercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. Non decet; non datum est; non potestis. Nec vero hoc in te unum convenit, moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum: sed quum in reliquos vestros, tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem, sine arte, sine literis insultantem in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore.